

CONTROVERSIARUM LIBER PRIMUS.

QUESTIO I.

De sacra scriptura secundum se.

ARTICULUS I.

Verum sit aliqua scriptura sacra.



LIQUAM ejusmodi scripturam esse negarunt olim Pagani. Negarunt & postea hæretici, Valentinus, MARCION, Cerinthus, Basilides; de quibus Irenæus lib. 3. contrâ hæreses c. 2. & Manichæi cum multis, quos refert Sixtus sen. lib. 7. & 8. Bibliothecæ hæresi 1. eosque secuti sunt superiori sæculo. Libertini, & Suueckendus, PARTIM id solum pro verbo Dei habendum esse affirmantes quòd Spiritus Sanctus unicuique privatim suggererit; PARTIM quia ut 2. ad Corinthios 3. dicitur, *Littera occidit*, undè sequi volebant omnem scripturam esse litteram occidentem, ac per consequens nullam scripturam esse facram. QUIDAM ALIJ concedentes fuisse aliquando scripturam facram, dicunt eam perijisse simul cum libris originalibus.

Responsio ad Articulum.

RESPONSIO ad fidem pertinens est, aliqua esse seu existere scripturam facram. Ita enim affirmant Concilia Carthaginense tertium, Laodicenum, Florèntinum, Tridentinum, & perpetuus Ecclesiæ usus, firmissimæque ipsius traditionis. Confirmatur, quoniam non de alia, quam de scriptura sacra intelligi potest, quòd Christus Joan. 5. dicebat, *Scrutaminis scripturas*: Et postea, *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi; de me enim ille scripsit*. Et similiter non de alia quoque, quàm de scriptura sacra sermo est quando dicitur quòd Christus à morte redivivus duobus discipulis in castellum euntibus interpretabatur in omnibus scripturis quæ de ipso erant; quod **D**icitur, *neesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me: tunc aperuit illis sensum ut intelligerent scripturas*, Luc. 24. & rursus quòd Petrus Actorum 1. dixit, *oportet impleri scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os David de Juda*.

Quare oporteat eam existere. Cæterum quare oporteat aliquam esse scripturam facram, variz possunt reddi rationes. PRIMA est, quia juxta suavem & communem divinæ providentiæ modum doctrina revelata (quam I. p. E. qu. 1. ostendimus esse necessariam) non bene potest tota in perpetuum servari, & ad absentes (maximè autem ad posteros) transmitti sine scripto, quamvis enim aliqua documenta etiam supernaturalia possint viva traditione & vocali magisterio traduci & conservari, non similiter tamen possunt omnia, eò quòd aliqua sint valde difficilia; & hominum corruptio, quæ successu tem-

Sylviæ Controversia.

Aporis multum invaluit, reddat eos hebetiores ad ea retinenda & fideliter transmittenda: undè & I. 2. qu. 98. art. 6. docetur quare oportuerit dari legem scriptam.

SECUNDA ratio est, quia in multis non sola veritas orationis est à nobis consideranda; sed insuper proprietas verborum, & quæ in eis latent mysteria: hæc autem omnia non ita commodè possent considerari nisi existarent sacra scripta.

TERTIA, quia sacra scriptura valde utilis est ad consolationem fidelium, & ad spem eis excitandam, juxta illud 1. Machabæorum 12. *Habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris*: & ad Rom. 15. *quacumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus*. Prioris quoque ad Corinth. c. 10. *Hæc omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correptionem nostram*, hoc est, ut ijs lectis admoniti sapiamus. Rursùm 2. ad Timoth. 3. *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudendum in justitia &c.*

Si quæras undè nobis potest constare quòd aliqua sit scriptura sacra. Respondetur quòd ex assertionem ejus, ex qua scimus quænam sit illa sacra scriptura, hoc est, ex autoritate & definitione Ecclesiæ quæ veterum scripta continuamque à aliqua temporibus Apostolorum successione ac traditionem scrutando, scite hoc potest assistente ei Spiritu sancto.

Responsio ad argumenta.

AD I. VERÒ ARG. in contrarium oppositum RESP. nequaquam admitti posse, hoc solum esse pro Dei verbo habendum quòd Spiritus sanctus cuique privatim suggererit; quia regula præscribens quid sit pro verbo Dei recipiendum, debet esse certa & nobis nota: si enim non sit certa, non potest esse regula; si autem non sit nobis nota, non potest esse nobis regula, quo modo enim possumus pro regula id sequi, quòd nobis est ignotum? Suggestio autem, quæ privatim fiat unicuique, incerta est, & prorsus ignota, cum sæpè putetur suggestio esse à Spiritu sancto, quæ reverà est aut à demone, aut à proprio spiritu hominis superbè sapientis. Confirmatur, Spiritus sanctus non potest sibi esse contrarius: at multi sunt, quibus suggeritur aliquem librum esse facrum, cum interim alijs etiam eodem tempore, de eodem illo libro suggeratur quòd non sit facer, quemadmodum patet de libris & epistolis quas unanimiter recipiunt catholici, ut sacras; quarum tamen aliquas hæretici rejiciunt: & in ijs, quas rejiciunt sibi quoque invicem adversantur, dum eorum aliqui quosdam libros vel epistolas admittunt,